

61430

Contingentia in Sacris Libros

- I. Dna disputationes 1. de sacris v. & N.T. libris Canonis & Apocrys
Joh. Stederici 2. de corunde sac. libroy autoritate
- II. Disputatio de primario Sac. libroy argumento. J. Stederici.
- III. + Enses + Theologica de Verbo eti. sensibilia scripture
scripturae s. plantitudine & sufficietia
- IV. Disputationes XVII. ex Confessione Augustana. auctore
Aegidio Sturmo.
- V. Eiusdem disputatio, qua ostenditur, Sacramentarios Cal-
vinistas Augustana Confessio solios non esse.
- VI. Dca & Logoy communium de creatione
providentia causa fallati & Zafaria
contingentia. G. Sibitzer.
- VII. + Enses de poto tum Angeloy tum sominium Daniels
Arcularij D. Alad. Karpuy. profess.
- VIII. Disputatio 5. de poto origines. Hofmanni
- IX. + Enses de Cogna Domini de persona Christi Sturmi
- X. De persona Christi Disputatio II. Gerlachij ad verbi Apo-
logeticum Iordan. Busaci Jesuita
- XI. De persona Christi disputatio Vibani Pierij
- XII. + Enses de Baptismo Graecorum & Romanorum Hunnius
- XIII. De providentia Disputatio Sturmi

- XIV. De p[re]destinatione salvatoris, et reprobatione infidelium. Thessalij.
- XV. De p[re]caedestinatione G. Mylij.
- XVI. De divina, presingulare hominum salute, voluntate, & auctoritate. A. Hocine Sebasmani
- XVII. De Ecclesia M. Iohann. Caspari Pappi.
- XVIII. Epistola philippi Beowaldi ad D. Humum
duo testibus ipsius.
- XIX. Comedia Misericordie Synopsis G. Mylij D.



AB 61 430

I.
DISPUTATIONES DVAE:
PRIOR
DE SACRIS VTRIUS-
que Testamenti libris Canonici-
GIS, ET ECCLESIASTICIS
SIVE APOCRYPHIS &c.

ALTERA
De eorundem sacrorum libro
RVM AVTORITATE, ET VN-
de illa dependeat.

Quæ, dante & volente Deo, per Christum in Academia
IVLIA habebitur

C. l.

M. 2.

PRAESIDE

Iohanne Hederico Th. D. &
Professore:

Respondente autem

M. GOTFRIDO SLVTERO
Vesaliensi.

HELMSTADII
Ex Officina Typographica Iacobi Luey.
Anno M. D. XCII.

M. Valer. Myls
J.

T.



Ad pium Lectorem.

Vando Dei normam teneo viuentis
in ævum
Viuo, licet rapt⁹ funere mortis ego.
Quando sed admitto normam quam finxerat
vmbra,
Viuo seu morior permanet vmbra mihi.

A L I V D.

Cripta velut quondam distincta Ca-
nonica constat
Omnibus à reliquis cum grauitate
libris:
Dogmata nunc nobis sic nō authentica sunt,
Talia quæ fidei dicere norma vetat.

Iohan. Hedericus D.

DISPV-

DISPUTATIO PRIMA,
De sacris vtriusque testamenti
libris, Canonicis, & Ecclesiasticis siue
Apocryphis &c.

I.

N Theibus disputationis, superiore tempore, de fundamento fidei, & religionis veræ habitæ, perspicuis & firmis rationibus ostensum est, in uno & solo Dei viuentis verbo nobis reuelato, basin illam aduersus quorūcunq; *ἀντεγόρων* putida sophismata, detestandas corruptelas, & impia portenta, demumq; aduersus omnem portarum inferi violentiam & rabiem, inde ab initio mundi, consistere immotam, adeoq; in sempiternum perduraturam esse.

II.

Ad quod verbum diuinitus patefactum, adeò accurate suam Deus, in rebus ad fidem & cultus diuinos spectantibus, vult esse attentam & alligatam Ecclesiam, vt siue de ijs quid scire se profiteatur, siue ea confirmare, siue exortis controvēsijs diudicare velit, non in huiusmodi verba (quod etiam Augustinus contra Petilianum) monet erumpat: *Hec ego dico, haec tu dicas, haec ille dicit: Sed utatur hoc axiome: Hec dicit dominus, sic scriptum est, sic vox diuina aut sacra scripture testatur.*

III.

Quodcunq; igitur dogma in eadem scriptura fundatum, & disertè clareq; expressum Ecclesiæ Dei proponitur, & fidei cultibusq; diuinis accommodatum, vrgetur id omnino *avermeg* verum & salutare agnoscendum credendum & approbadum est.

A 2

Contra

AMIT. IV. 21C
III.

Contra verò quod dogma in scriptis à Spiritu sancto dictatis, fundamentum non habet ex illis certo probari nequit, sed ab eis alienum ijsq; contrarium est, illud nequaquam admittendum, aut ut fidei nostræ siue articulus siue pars aliqua habendum est. V.

Quin verò etiam, vt eiusmodi, quod ex præiudicio, persuasione, præsumtione, & phantasia humana, quæ in diuinis stulta est & cœca, profectum, est remouendum & explodendum. VI.

In quam sententiam præterea Oecumenica siue vniuersalia, & euidenti ratione distincta ab illis, particularia Ecclesiæ symbola, quod verbo eidem corraspondent, nos amplecti in ijsdem thesibus fuit additum.

VII.

Vt autem penitus intelligatur, quod sit illud verbum aut ubi requirendum sit, nunc eos nominatim exprimemus, & partiemur libros in quibus singulari consilio Dei, idem consignatum, ab Ecclesia fidelium constanti iudicio pro authentico usurpatum, & non sine singulari prouidentia diuina ad nos vsq; propagatum est.

VIII.

Ac licet variæ sint partitiones librorum sacrorum quæ hic recenseri poterant: tamen eam hic potissimum obseruandam & vrgendam censemus, quæ præcipua est, & qua ad fundamentū fidei, & religionis eius, quam profitemur, omnino deducimur, deq; eius immota certitudine confirmamur.

IX.

Partitio illa hæc est, qua sacra Veteris & Noui testamenti scriptura (quæ est doctrinæ de Testamento & foedere Dei immortalis cum hominibus mortalibus sancto explicatio) una appellatione Biblia κατ' εξοχιù, siue per Antonomasiam nomi-

nominata iam olim in primitiua & antiquissima Ecclesia , in
Canonicos & Ecclesiasticos, vel ut Hieronymo, & ijs qui se-
quuntur illum, de his placet, in Apocryphos libros principa-
liter est distincta.

X.

Quod autem de supposititijs, adulterinis & fabulosis, ter- *Eusebius*
tio loco, ex diuisione Eusebio vſitata additur, cùm illa inter *lib. 3. cap.*
reprobata scripta habeantur, parcus de ijs hoc loco agen-^{22.}
dum censebimus.

XI.

Per Canonica igitur Sacra Bibliorum scripta, intelligi-
mus ea, quæ non dūbia nec ficta, sed vt idem habet Eusebius
ἀναμφιλέκτως ἐνδιάγνωσα καθολικὰ κοινὸν ὁμολογουμένα, hoc est, quæ
sine contradictione testamentaria, legitima, Catholica, &
veræ Dei Ecclesiæ confessione certa sunt.

XII.

Horum librorum qui verè Canonici sunt in Veteri Testa-
mento numero **xxiiii.** non solum à græcis & latinis scripto-
ribus Ecclesiasticis, sed etiam ab Hebræis plerisq; recensem-
tur.

XIII.

Quamobrem ab his quoq; *אַרְבָּעָה וּשְׁرִים* Biblia appel-
lantur, & triplici siue priores Prophetas à posterioribus di-
stinguendo, quadruplici serie à proximis successoribus pro-
phetarum viris Synagogæ siue Synodi magnæ in populo Dei
distributi sunt.

XIII.

Prima series continet libros quinq; à Mose scriptos, quos
Hebrai vna voce *תּוֹרָה* & Græci *πεντεχον* nominant, &
qui interdum etiam in Biblijs nomine Mosis & authoris sui,
quemadmodum multi alij, designantur.

XV.

Ex his primus à dictione initium eius occupante, He-
bræi *בְּרִאָשָׁוּת* alias Genesis dicitur, quem aliqui librum iu-
storum, cuius Iosue 10. 13. & 2. Sam. 1. 18. fit mentio esse vo-
lunt; licet Hebræi per eum pentateuchum intelligent, in quo

A 3

Deus.

*Hunyadi library
Canonicae*

Deus promiserit quod facturus esset Mirabilia &c.

XVI.

Secundus alias שָׁמֹת וְאֶלְهָ Exodus à primaria parte populi Israëlitici ex AEgypto exitu appellatus.

XVII.

Tertius נַיְקָרָא alias Leuiticus, ab argumento suo, nimirum Leuiticis Ministerijs ita dictus.

XVIII.

Quartus alias נִיבֵּר Numerorum liber à censu populi Israëlitici inscriptus.

Quintus חֲדָבָרִים alias Deuteronomium lex secundaria, superioribus veluti Enchiridion, Compendium, Commentarium & explicatio Decalogi accedens.

XIX.

Secunda series quæ est Hebraicis בְּבִיאִים רָאשָׁנִים Proprietarum priorum quatuor libris absolvitur, quorum nomina sunt: Iosue, Iudicum, Samuel, Melachim, qui duo libri posteriores, in primum & secundum vulgo subdividuntur.

XX.

Quod etiam i. Paralip. cap. vlt. 29. legitur: Gesta Davidis Regis, priora & nouissima esse scripta in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan prophetæ, aitq. in volumine Gad videntis &c. haud abs re videtur per ea intelligi primi & secundi libri Samuelis historia, quæ à tribus illis Prophetis, Samuele, Nathan & Gad contexta sit.

XXI.

Id enim certo constat, ambos illos libros, non ab uno Samuele conscriptos esse, cum Samuel ante finem primi libri sit mortuus.

XXII.

Quod igitur nonnulli, loco illo adducti, putant aliam esse historiam, quæ à tribus istis elaborata sit, & postea interciderit, nullo evidenti arguento, cuinci potest, nisi quod faten-

fatendum est, aliquos libros intercidisse, dum conseruatiss
illis, in quibus omnia quae ad salutem nostram pertinent, ple-
nè exposita sunt, Deus Ecclesiæ suæ abundè prospexit.

XXIII.

Sic etiam per Salomonis res gestas quae à Nathane, A-
hia & Seddone 2. Paralip. 9. 29. literis mandata esse scribun-
tur, historia quae primo libro Regum comprehensa est desi-
gnatur.

XXV.

Ac quod historiæ Iudicum, Ruth, Samuelis, & Regum à
pluribus prophetis fuerint conscriptæ, colligitur ex Iosepho
quoq; Iudaicarum antiquitatum diligentí scriptore. Is enim
contra Apionem Grammat. sic scribit: *à morte Mosis usq; ad
Artaxerxen qui post Xerxen apud Persas regnauit, quæ apud Iudeos
gesta sunt, Prophetæ, quiq; per ea tempora vixerunt tredecim
voluminibus conscripsérunt.*

XXVI.

Tertia series est נְבָאִים אַחֲרִינִים Prophetarum posterio-
rum & itidem quatuor libros continet, nempe Iesaiam, Ie-
remiam, Ezechielem, & duodecim prophetas minores uno
volumine comprehensoſs.

XXVII.

Horum Prophetarum minorum, qui sic à breuitate dicti
sunt, ordo & nomina secundum Hebræos & Hieronymum
sunt: Hoseas, Ioel, Amos, Obadia, Iona, Micha, Nahum,
Habacuc, Zephania, Haggai, Zacharia, Malachi: De ordine
quo à græcis recensentur, nihil addimus.

XXVIII.

Quarta series est קְתֻובָם scripturarum & undecim libris
constat, qui hoc ordine à Petro Galatino, de sententia He-
bræorum recensentur: 1. בְּבִרוֹ הַיִמִּים verba dierum, qui
Græcis est παραλεπθέων, & in duos subdividitur. 2. תְּהִלִּים hymnorū, qui Græcis est Psalterium. 3. Proverbiorum פְּשָׁלִי seu po-

seu potius parabolarum Scloomonis. 4. Iob. 5. Ruth. 6.
Concio, qui liber nobis est Ecclesiastes. 7. qui קְהַלָּת
vulgo lamentationum vel Threnorum inscribitur. 8. שִׁיר הַשִׁירִים
Canticum Canticorum. 9. Esther. 10. Daniel. 11.
Ezras, quem cum Nehemia vnum computant librum. De
numero & ordine, quo non nihil diuerso ab Hieronymo li-
bri numerantur, nihil subijcimus.

XXIX.

Hæc autem scripta ad quartam setiem pertinentia, Græ-
ci nominant hagiographa, inde vt videtur, quod sint sancto-
rum, aut à sanctis edita, vt essent proximæ authoritatis post
superiora, quorum Deum authorem statuunt.

XXX.

At verò quod libri isti, quos vocarunt hagiographos
parem cum cæteris verè Canonicis autoritatem obtineant,
eadem argumenta euincunt, quæ ad probandum Authenti-
cos afferuntur, vt in Thesibus huius & sequentis disputatio-
nis ostendetur. XXXI.

His nunc etiam libros Canonicos noui Testamenti subij-
cimus, qui numero sunt xx. quos pro indubitate semper ha-
bitos inde ab Apostolorum temporibus, pia & Orthodoxa
vetustas enunciat.

XXXII.

Inter eos præmittuntur quatuor Euangelistarum libri o-
mnino preciosissimi, quod ex ijs cœlestem Doctorem, Dei
& hominis filium Dominum nostrum Iesum Christum per-
cipimus, arcanum Dei consilium, de saluando genere huma-
no reuelantem, & totum opus redemptionis perficientem.

XXXIII.

Euseb.
lib. 3. cap.
21. Ex his primus est Matthæus, vt pote qui primus post af-
cisionem Christi excitatus est, vt Euangelium suum con-
scriberet, & Hebræis relinqueret, cum ad gentes prædica-
tum proficeretur.

Secun-

XXXIII.

Secundus est Marcus quem ex Concionibus Petri Apo- *Euseb.*
stoli Euangelium suum congesisse, idq; ab ipso Petro appro- *lib. 3. cap.*
batum & Ecclesijs legendum, sua authoritate confirmatum *15. 36.*
esse, scriptores tradunt. *Niceph.*

XXXV.

Tertius est Lucas qui in proemio Euangelij affirmat, sc ^{45.}
ex traditione eorum, qui ab initio suis oculis res Christi vi- *Irenaeus*
derint, eiusq; discipuli fuerint, cunctis sedulo peruestigatis *lib. 3. cap.*
illud conscripsisse, ad quod etiam Pauli Apostoli operam non- *14.*
nulli accessisse sentiunt.

XXXVI.

Quartus Iohannes visis reliquorum trium Euangelijs, i- *Eusebius*
jsq; approbatis, suum inter alia idco adiecit, vt pertexeretur *lib. 3. cap.*
narratio earum rerum, quæ initio publici Ministerij sui Chri- *21.*
stus gessit, præter id quod non solum historiam Christi, sed *Irenaeus*
etiam conciones plures, à cæteris omissis censuit consignan- *lib. 3. cap.*
das. *ii.*

XXXVII.

Hos deinde Euangelistas Acta sequuntur Apostolorum,
vno à Luca Euangelista libro comprehensa, in quo descri-
buntur ea, quæ in primis auspicijs institutæ inter Iudæos &
gentes prædicationis, Spiritus sanctus operatus est.

XXXVIII.

His subiunguntur Epistolæ, ab Apostolis Domini con-
scriptæ, in quibus historiam Christi, summatim quidem per-
stringunt, sed de fructu maximorum operum Christi, de ap-
plicatione ad nostram salutem, de nouitate vitæ, de resurre-
ctione mortuorum & vita æterna fusius docent.

XXXIX.

Ex his Epistolis Pauli sunt XIII. nempe vna ad Romanos,
duæ ad Corinthios, vna ad Galatas, vna ad Ephesios, vna ad
Philippenses, vna ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses,

B

duæ ad

dux ad Timotheum, vna ad Titum, & vna ad Philemonem.

X L.

Adduntur in Canone noui Testamenti, prima Epistola Petri, & prima Iohannis, quarum utraq; tam Canonica quam Catholica est nominata.

X L I.

Quanquam posterior appellatio, quibusdam alijs etiam Epistolis, quae non sunt in Canone (licet falsò & mendosè aliqui in latinis exemplaribus Canonice dicantur) attribuitur, non ob doctrinæ synceritatem, cuius ratione tota scriptura est Catholica, sed potius quod non vni alicui homini, aut particulari Ecclesiæ inscriptæ sunt, sed vniuersali Ecclesiæ ut de Epistola Iacobi palam est.

X L I I.

Cæterum ad Canonicorum sacræ scripturæ librorum numerum & ordinem, qui quidem obseruatur in veteri instrumento (quam appellationem Augustinus magis propriam p̄f. Pelag esse, veteris Testamenti scriptis censet) Christus ipse respexit; cum ait: oportere impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysis Prophetis & psalmis.

X L I I I.

Ac quia Christus & Apostoli, tam expresso, quam simulo nomine, ex his libris testimonia, de grauissimis fidei & cultuum diuinorum capitibus citarunt, haud obscurè conjectari potest, quod eos pro certis & probatis habuerint, quos Antiquitas Iudaica, vt authenticos, & probatos communī consensu amplexa est.

X L I V.

Nam quodcunq; in veteris Testimenti scriptura est Canonum, id Iudæis traditum, & ab iisdem non sine singulari prouidentia Dei, inter varias captiuitates, dissipationes & vastationes asseruatum fuit.

Vnde

XLV.

Vnde & Apostolus ad Romanos disertè scribit, Iudeis
comissa & tradita fuisse τὰ λογία τῷ θεῷ eloquia siue oracula
Dei. hoc est scripturas. Rom. 3.2.

XLVI.

Ad eundem modum Augustinus, eorundem in reponen-
dis sacris libris ijsq; custodiendis singularem diligentiam &
fidem Epistol. 3. & 59. prædicat.

XLVII.

Cæterūm eosdem libros sacræ scripturæ Canonicos, po-
stea semper agnouerunt Episcopi, & Doctores, qui tempo-
ribus Apostolorum, & eorum qui audiuerant illos docen-
tes admodum propinqui fuerunt: vt Meliton antiquissimæ *Eusebius*
Sardensis Ecclesiæ Episcopus, qui proximo post Apostolos *lib. 4. cap.*
seculo vixit, vt ex Epistola eius ad Onesimum fratrem con-
stat: Et Origenes qui ab Hebræis, atq; patribus antiquiori- *Eusebius*
bus, quod testatur Eusebius, diligenter perscrutatus est, qui *lib. 6. cap.*
nam ex libris veteris Testamenti, pro Canonicis essent haben-*24.*
di.

XLVIII.

Hunc quoq; numerum, & ordinem sacrorum volumi-
num, Iosephus contra Apionem Alexandrinum, & græcos est
secutus, vbi Canonicos enunciat, libros Moysis quinq;, tre-
decim Prophetarum, & quatuor Hymnorum in Deum, & vi-
tæ humanæ præcepta continentes &c.

XLIX.

Eosdem libros Cyprianus, vel quisquis author est expo-
sitionis symboli Apostolorum, simili eodemq; euidenti nu-
mero, sicut ex patrum monumentis (vt ipse loquitur) acce-
perunt designat &c. L.

Hieronymus itidem, instituta collatione sententiarum
cum alijs, libros veteris Testamenti, ad eundem modum nu-
merat, libro Iudicum cum qui Ruth inscribitur, & Esdræ Ne-

B 2 hemi-

hemiam vel Ieremiæ Threnos, eiusdem concionibus coniungendo.

L I.

Ad numerum enim xxii. literarum Hebraicarum cum Iosepho & alijs quibusdam libros Canonicos contraxit, quos cæteris Hebreis & Græcis, vt & plerisq; latinis scriptoribus Ecclesiasticis, visum est complecti numero xxiii. librorum.

L II.

Qua ratione nihilominus numerus literarum Hebraicarum obseruatur, nisi quod litera Iod more Chaldæis, quo ad nomen παραγενηταν visitato triplicatur.

L III.

Ac sic præter numerum literarum Græcarum, spectatur quoq; mysterium xxiiii. seniorum in Apocalypsi, adorantium agnum, aperientem librum septem sigillis obsignatum, quem nemo aperire poterat, sicut illud idem Hieronymus accommodat.

L IIII.

Aug. lib. II. cap. 5. cont. Faustum Machich. Quod autem ea noui testamenti scripta, solummodo pro Canonicis & indubitatis, semper sint habita, quæ supra recita ta sunt, vel inde abunde constat, quod ipsi Apostoli, vt certissima Spiritus sancti organa, autoritate diuina, eaq; extraordinaria non solum Canonem librorum veteris testamenti communierunt, sed & noui testamenti libros à se scriptos confirmarunt.

L V.

Vnde authores, Hieronymus nimurum in Catalogo & alij scribunt, Iohannem Apostolum & Euangelistam omnium longissimè vixisse, vt videre libros omnes & confirmare posset, & si qui non fide digni & fictitij libri ederentur, eos à sacris libris & verè Canonicis distingueret.

L VI.

Sic idem Hieronymus in Catal. in Luca narrat, quendam librum de gestis Pauli oblatum fuisse Iohanni, sed authorem deprehensum esse, & librum Apostoli autoritate damnatum.

Tertul-

LVII.

Tertullianus lib. de præscrip: aduersus hæreticos assi-
gnat, ipsa Apostolorum ἀντίρρησθαι, suo tempore in Ecclesijs
integra fuisse seruata. sicut & idem ibidem: *Constituimus in-
quit, Euangelicum instrumentum Apostolos authores habere.*

LVIII.

Videatur quoq; Eusebius lib. 3. historiæ Ecclesiasticæ
cap. 22. in græco 25. vbi eodem quo nos numero, exprimit
eos, qui in nouo testamento semper habiti sunt Canonici, &
alios quoq; de quibus vel dubitatum fuit, vel qui penitus re-
iecti sunt recenset ac addit: ἀναγνωσθεὶς οὐκ τέτον τὸν κατάλογον
πεποιήσας, Διακείνοντες τὰς τε καὶ τὴν ἐκκλησιασμὸν παρεῖδον α-
λιθεῖς Εἰς ἀπλάσεις Εἰς ἀναμολογηθῆναις γεφαὶς Εἰς τὰς ἄλλας παρε-
ιδόντας τὰς ἐνδιδάχειντας.

LIX.

Nunc igitur & à vobis numeranda sunt ea scripta, quæ
antiquitus non consentientibus primitiæ Ecclesiæ testifica-
tionibus contradictionem passâ esse constat, sed quæ Eccle-
siastica Cypriano, siue Ruffino in expositione Symboli, ideo
dicta sunt, quod etsi non sint in Canone, tamen Ecclesia pro-
pterea quod aliâs sanctâ tradunt, licet in quibusdam, Canonici-
cis scripturis non corraspondent, illis inserere admisit, & in
Ecclesiasticis cœtibus legit.

LX.

Eadem ab Hieronymo, ab alijs, qui eum sequuntur, A-
pocrypha sunt dicta, quod in Canone non extarent, sed la-
tentia, hoc est non publica, nec per omnia ad constituendum
& confirmandum fidei articulos, autoritatis Catholicæ es-
sent.

LXI.

Non igitur ut vulgo putant, ideo tantum sic dicta sunt,
quod incerti authoris, seu ad lectorum essent, sed quod in docen-
do & comprobando religionis veritate, illis non licebat uti,

hōup

B. 3

& quod.

& quod censebant, non pro publicè receptis habenda esse
scripta eorum hominum, qui diuinis testimonijs, ad exemplū
Prophetarum non essent instructi.

LXII.

Nam quædam ex illis, vel post tempus id edita sunt, quo
in veteri Iudaico populo prophetæ desierunt, vel licet pro-
phetis aut in nouo Testamento Apostolis tribuantur, tamen
authenticis carent testimonijs, quod ab illis sint elaborata.

LXIII.

Gloss. dist. Quanquam aliqui sunt, qui diuerso modo Apocrypha
15. ex Hug. quidem ea intelligunt solummodo, quæ domi priuatim cuiq;
legere fas fuerit, sed in conuentibus publicis, non recitata
C. Sanct. fint, vt Euangeliū Nicodemi, Thomæ, Bartholomæi, &
Rom. complura alia, quorum Catalogus in decretis dist. 15. perte-
xitur. Ecclesiastica verò ea dici volunt, quæ licet non habe-
antur pro Canonicis, tamen Ecclesiasticis cœtibus non indi-
gna complectantur. LXIII.

Huiusmodi libri, & quidem integri primo, scriptis Te-
stamenti veteris inserti sunt, liber Sapientiæ, Judith, Syraci-
des, Tobias, libri Machabæorum: & postea partes siue addi-
menta librorum, vt Baruch, capita Esthræ adsuta, & Danie-
lis titulo venditata fragmenta, cum cæteris quæ absq; contra-
dictione multa, habentur Apocrypha.

LXV.

Nam quòd sapientiæ liber non sit Canonicus, inde con-
stat, quòd Græcè, & quidem vt pleriq; è veteribus putant, à
Philone est scriptus, qui cùm non esset Propheta, librum Ca-
nonicum edere non potuit: præter id quod Hieronymus, &
Augustinus, eundem à veteri Ecclesia è canone exclusum esse
tradunt. LXVI.

Librum Judith Hebræi nunquam in Canonem recepe-
runt, sed ex Chaldæo idiomate descriptus fuit, præter id
quòd

quod tempus, quo historia illa acciderit, valde est dubium.

LXVII.

Liber Ecclesiastici, Græce est editus ab eo, qui nec Propheta, nec Spiritu propheticō prædictus fuit, & ipsa translatio græca, quæ sola extat, non suis caret mendis & vitijs.

LXVIII.

Historia Tobiae, quonam Idiomate primo conscripta sit, dubitatur: nisi quòd Hieronymus, illius Chaldaicum exemplar sibi obtigisse meminit, cui tamen etiam parum tribuit.

LXIX..

Nec libri Machabæorum, authorem prophetam habent, & non solum *ασύμφωνα* multa, sed & cum scripturis Canonis pugnantia continent, ut suo loco ostendi potest.

LXX.

Deinde, quod ad partes sacrorum librorum attinet, ut Baruch, quem Ieremiæ vaticinijs aliqui adiunixerunt, de eo Hieronymus scribit, hunc librum apud Hebræos nec legi nec haberi: ut hoc modo Ieremias vel Baruch ipsius scriba, autor illius statui non possit, præter id quod phrasis in eo, Græco potius, quam Hebraico stylo correspondet, atq; ita non Propheta, sed aliis quispiam eum scripsit.

LXXI.

Nec illa capita septem, quæ libro Estheræ adduntur, pro Canonis habentur, cum teste Hieronymo, Hebraicè non habeantur, & multa alia, ab authore authenticō, ea non scripta esse testentur. LX XII.

Præterea, partes quæ Danieli adduntur, aut Hymnus trium puerorum, qui in fine tertij capitū ponitur, & Susannæ, Belis, Draconisq; historiæ, non sunt Canonicae, quia in Hebraicis libris non extant, & ab Hieronymo, alijsq; peritioribus omnibus inter Apocrypha censentur.

LXXIII.

Deniq;

Deniq; nostro & aduersariorum consensu, Apocrypha sunt, tertius & quartus liber Esdræ (quos tamen Petrus Galatinus Hebraicè Constantinopoli repertos esse meminit) tertius & quartus Machabæorum, oratio Manassis, post libros Paralipomenon posita, psalmus 151. Appendix libri Job, in græcis Codicibus, & præfati uncula quædam in Threnos Ieremiæ.

LXXIII.

Hæc enim omnia iam olim non extabant in Hebræo nec in Ecclesiastico Canone vñquam recepta sunt, ideoq; nec opus est vt de illis laboremus.

LXXV.

Ex noui Testamenti scriptis, quæ indubitatis ac firmis certitudinis & authoritatis suæ testimonijs, à primitua Ecclesia profectis destituuntur, hæc à vetustate orthodoxa recententur: Epistola Iacobi, Iudæ, posterior Petri, & altera cum tertia Iohannis, Epistola ad Hebræos, & Apocalypsis.

LXXVI.

Nam quòd Epistolæ Iacobi, non sit autor eius nominis Apostolus, multa testantur, & maximè, quòd ab analogia doctrinæ Apostolicæ, aliquot capitibus, haud mediocriter aberrat, nec modum docendi apostolicum obseruat.

LXXVII.

Nec Iudas se Apostolum nominat, & quod post Apostolos vixerit, in sua Epistola prodit, præter id quod quædam ad verbum ex posteriore Petri describit.

LXXVIII.

Quæ ipsa tamen posterior Petri testimonio antiquitatis destituitur, licet stylo & compositione, à priore non admidum discrepet, & author se disertè Apostolum Domini nostri Iesu Christi profiteatur, & ideo in Canonicis etiam à D. Luther computetur.

LXXIX.

Duæ

Duae Epistolæ posteriores Iohannis, carent itidem testi-
monio antiquitatis, imo & illis disertè à veteribus contradic-
tum esse, scribit Eusebius, nec de authore eorum satis con-
stat.

LXXX.

Eusebius
lib. 3. cap.
Etum esse, scribit Eusebius, nec de authore eorum satis con-
stat.

Epistolæ ad Hebræos, etsi multi Paulum authorem esse
statuunt, tamen grauiores videntur causas habuisse, qui id ne-
garunt, quia videlicet non additum est nomen Pauli, pro
more aliarum Epistolarum eius, nec phrasin Pauli referat, &
quod ab ijs qui audiuerunt Dominum, se præcepta recensere
indicat, licet ut iliter ei inter libros sacros locus relinqua-
tur.

LXXXI.

De authore Apocalypsis, etiam disputatum est, sed viden-
tur Iustinus, Tertullianus, Irenæus, Apollonius, Theophilus,
Antiochenus, graues habuisse rationes, ob quas Apocalyp-
sin Iohanni Apostolo tribuerunt, nimis quia eum circa fi-
nem imperij Domitianus prodisse meminerunt, quo tempore
Iohannes ex Pathmo reuersus dicitur: Et quia haud obscu-
re, se Iohannem Euangelistam profitetur, qui testimonium
Iesu Christi, & quæcunq; vidi præscribat: Deniq; quod ad
analogiam fidei Apocalypsis examinata, nihil quod contra-
rium sit Catholicæ doctrinæ complectatur.

LXXXII.

Post hæc scripta, quæ sacrorum Bibliorum nomine com-
præhendimus, sunt alia quæ secundi generis, apocrypha non-
nulli vocant, & ea quæ Eusebius cum alijs, vel inter adulteri-
nos, vel prorsus reiectos refert libros.

LXXXIII.

In Catalogum adulterinorum librorum, hi collocantur:
Acta Pauli, liber dictus Pastor seu Hermæ, Apocalypsis Pe-
tri, Epistola Barnabæ, Apostolorum doctrinæ, Euangeliū
secundum Hebræos, & Protoeuangeliū Iacobi.

LXXXIV.

C

In nu-

In numerum verò absurdorum , & prorsus reiectorum
referuntur ea , quæ vel ab Hæreticis , vel à Philosophis , vel ab
alijs , Apostolorum nomine sunt edita , vt pote Apocalypsis
Pauli , Euangeliū Iudæ Iscariotis , Euangeliū Thomæ ,
Euangeliū Matthiæ , Andreæ , & Euangeliū Petri .

LXXXV.

Hi igitur vt Apostolis indigni , ab orthodoxa vetustate ,
his argumentis reje ciuntur , quòd destituuntur testimonio o-
mnium Ecclesiasticorum scriptorum , quòd character phra-
seos , à consuetudine Apostolorum variat , quòd ab *αισθησίᾳ* fi-
dei & veritate Apostolicæ doctrinæ discrepent , quòd sutores
fabularum sint , (vt Augustinus loquitur) & authores suos
hæreticos non obscurè prodant .

LXXXVI.

Cæterum hæc tanta prudentia , & accurata diligentia ,
qua in Ecclesia primitua , Canonica , ab Apocryphis siue Ec-
clesiasticis , diuinæ authoritatis , ab humanis , vera ac genui-
na , à fabulosis , adulterinis , & supposititijs scriptis distinctos
fuisse , haec tenus ostendimus , meritò & nobis curæ esse debet
his temporibus , ne humanæ authoritatis scripta , aut dogma-
ta , à fundamento verbi aliena , pro authenticis venditentur ,
& alijs obtrudantur .

LXXXVII.

Etenim si adeò sancto consilio , & graui iudicio primiti-
ua Ecclesia , tot Apocrypha siue Ecclesiastica veteris & no-
ui Testamenti scripta , quæ antea enumerata sunt , (vt de
supposititijs nihil dicam) nequaquam Canoni Scripturæ ac-
tenserī passa est , & licet piè , ac vtiliter ea legi ad ædificatio-
nem plebis possè sentiret , non tamen ex illis , vel dogmatum
veritatem confirmandam , vel eorundem falsitatem refallen-
dam esse statuit ; nec hodie quispiam cordatus , scripta eius-
modi , quæ diximus vel Canoni sacro adæquare , vel normam
& iudi-

& iudicem dogmatum, siue confirmandorum, siue refutandorum statuere poterit.

LXXXVIII.

Præterea si minimè ad recipiendum simpliciter scripta illa, quispiam adeo fuit compulsus, ut si quid in illis, cùm verè Canonicis scripturis pugnaret, aut ab illis alienum esset, ei reclamare non liceret: nequaquam etiamnum fas erit, cogere quempiam, vt absq; conditione & exceptione, dogmatibus, ex hominum iudicio, interpretatione & ratiocinatione, vel etiam phantasia, præsumtione & ~~προσωπληψίᾳ~~ profectis, nec ab aliqua synodo pia comprobatis, plenariam fidem habeat, aut pro authenticis recipiat, vtq; illis, quando extra limites verbi diuinitus præscripti exorbitant, cum læsione veritatis & conscientiæ suæ (vt de offensionibus & incommodis tristioribus, ad Ecclesiam & posteritatem redundantibus non dicam) contradicere non audeat.

LXXXIX.

Iam quòd Pontificios attinet, ex ijs quæ in his Thesibus, ex præscripto diuinæ vocis, & cum primitiua Ecclesia adserimus, manifestum est, qua temeritate, recentius Concilium Tridentinum in decreto primo, sessionis quartæ, præter id quod cum verbo scripto, aliud non scriptum siue traditiones obtrudit, numero etiam verè Canonicorum librorum, alios Ecclesiasticos siue Apocryphos inserere, cumq; ijs confundere non veretur.

XC.

Nam librum sapientiæ, Iudith, Ecclesiasticum, Thobiam, libros Machabæorum, cum additamentis, vt Baruch, libri Esther, & Danielis, sicut & eos qui ex nouo Testamento inter Apocryphos, de exemplo vetustatis recensentur, eiusdem autoritatis cum verè Canonicis statuit.

XCI.

Vnde etiam depræhenditur qua impietate, ibidem hunc

C 2

anathe-

anathematismum subijciat. Si quis libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, ut in veteri vulgata editione habentur, pro sacris & Canonicis non suscepit, & traditiones predictas, sciens & prudens contempserit, anathema sit.

XCII.

At verò hac ratione anathemati subijcienda erit, Apostolorum authoritas, qua Canon designatus, & confirmatus statuitur, sicut & tota primitua Ecclesia, & eius Doctores & concilia: vt Origenes qui 200 anno Christi floruit. Athanasius qui tempore Concilij Niceni, & post illud docuit: Cyprianus, Martyr, Eusebius, Hieronymus, Concilium Laodicense, & sextum Concilium Oecumenicum Constantinopolitanum, cum tot Ecclesiasticis doctoribus, qui ei subscripti sunt, & idem nobiscum, de numero Canonicorum librorum senserunt.

XCIII.

Ac licet subsequentibus annis, à prouinciali concilio Carthaginensi, à generali Constantinop. 6. alias Trullano & Florentino (quæ frustra cum quorundam patrum dictis, quæcunq; ratione consarcinatis, Iesuita Robertus Bellarminus, in prima controuersia, pro defendenda Concilij Tridentini sententia, ad rauim vsq; inculcat) libri in S. Biblijs Ecclesiastici, fuerunt etiam Canonici appellati, tamen id minus propriè, & eiusmodi largiore vocabuli vsu factum est, quo Augustinus, qui illo tempore floruit, & procul dubio Carthaginensi Concilio interfuit, eos omnes Canonicos vocat, qui non sunt Apocryphi, hoc est adulterini, mendaces & fabulosi.

XCIV.

Nec aliud quærit Sathan, contrarijs Pontificiorum decretis, quam vt Ecclesiam Dei à sacrosanctis scripturis, quæ certæ sunt, & indubitatae ad incertas & dubias abducant, nimirum ad Apocryphas, adulterinas, ad traditiones & interpretationes.

tationes humanas, ad concilia, ad patres & decreta Pontificum, quæ tandem ipsis Canonicis scripturis, non solum ad æquare, sed & præferre ausi sunt, vt cum alibi tum distinct. 19.cap.in Canonicis, videre licet.

XCV.

Illud verò etiam constat, ideo eos referre Ecclesiasticos *Sixtus* *Sevel* Apocryphos libros inter Canonicos, vt errorum & impietatis suæ, quacunq; patrocinium & tegumentum ex *bar. 12.* illis petere possint. XCVI.

Exempli gratia: vt impia sua de præcipuo Christianæ doctrinæ articulo, nempe iustificatione hominis peccatoris coram Deo, figmenta tueantur, & fundamenta illius, solidè in scripturis Canonicis, quas nos amplectimur, ostensa conuellant, quædam cum alia, tum ex libro Tobiæ, Siracidis, & Epistola Iacobi dicta vrgent, vt in Apologia confessionis Augustanæ, inter alia ipsorum argumenta, videre licet.

XCVII.

Sic vt Missam factificum, & oblationem pro defunctis, quacunq; (cum ex scripturis Canonicis probare nequeant) ratione tueantur & fulciant, Machabæorum libros, albo reliquorum Canonicorum ascribunt, quia in illis legitur dū-decim millia drachmarum collata esse, vt offerretur sacrificium pro mortuorum peccatis. 2. Mach. 12. &c.

XCVIII.

Nec addimus multa de eo, quod propterea Pontificij quoq; recentiores Canonem, ex libris Apocryphis augere tentarint, vt ius & autoritatem, canonisandi quos vellent libros, ad se pertinere ostentarent.

XCIX.

In quo etiam veterum dissensionibus, & quod alia scripta alijs digniora apud eos sint habita, abuti non debebant, siquidem hi ipsi veteres in ijs, in quibus dissentiebant, nem-

nem Papali quadam Tyrannide, aut anathematismorum fulminibus, in suam sententiam coegerunt.

C.

Ac licet nonnulli ex Pontificijs, vt Sixtus Senensis lib. I. Bibl: & Stapletonus lib. 9. cap. 6. princ: fid. Doctr. intollerabilem hanc audaciam animaduertentes, aliquando mitius loqui cæperint, quando alios quidem proto Canonicos vocant: nempe qui antiquitus absq; controuersia, sunt habiti Canonici: alios vero deutero Canonicos, vt quos Areopagitæ Tridentini, sub anathemate Canoni adsuere ausi sunt: tamen cum nihilominus pro hæreticis eos habeant, qui non ipsorum nouis inuentis, ac sophismatum præstigijs subscribunt, nec illud immanitate sua vacat.

C I.

Ac quia definiunt Canonica scripta, quæ diuinitus per Spiritum sanctum inspirata sunt: deutero Canonicos appellari non posse libros Apocryphos, inde, & ex rationibus quæ supra illis additæ sunt, vt & alijs, de quibus sequenti disputatione agitur, planum est & perspicuum.

C II.

Hætenus igitur qua potuit fieri à nobis breuitate, ea quæ ad veræ Canonicorum & Ecclesiasticorum siue Apocryphorum librorum enumerationem, distinctionem, & eidem in Ecclesia Dei usum afferendum, & vindicandum cum primis necessaria videbantur, expressa sunt.

DISPV-

DISPUTATIO ALTERA,
DE
Sacræ scripturæ & librorum
QVIBVS EA COMPREHENDI-
TVR AVTORITATE, ET VNDE
ea dependeat.



Ierem. 7.3.

Sic dicit Iehouah exercituum Deus Israhel. Bonas facite vias
vestras, & opera vestra, & habitare faciam vos in loco isto. Ne
fidatis vobis in verbis mendacij, dicendo, Templum Iehouæ, tem-
plum Iehouæ, sunt templum Iehouæ.

PIO

PIO LECTORI.



Væritur in rebus fidei fundamina nulla,
Cur præter verbum sint statuenda Dei.
In promptu causa est, quod cætera cuncta
sub orbe,
Et quæ de proprio pectore prompsit homo,
Præcipit tandem pereunt subiecta ruina,
Dum vox æternum permanet una Dei.
Ergo si veteres, si Papæ sintq; recentes,
Obtrudunt normam qui sine fronte nouam.
Ipsorum figmenta pius maledicta putato,
Tharsensis vates, ut monet ore graui.
Non titulus, non affectus, persona nec villa,
Ausint diuersam constituisse fidem.
Sic fidei norma stabis, tu stante per ævum,
Dum valet hæc semper tegulare finet.

Iohann; Hedericus D.

DISPV-

PIO

DISPV TATIONIS SECUNDÆ

THE SIS PRIMA.

Burima, eaq; valde illustria Christi & Apostolorum testimonia extant, quibus sacra scriptura, in qua æterna Dei veritas compræhensa est, unice commendatur, & quibus in omnibus fidei, cultuum diuinorum, & salutis nostræ negotijs, ad eam disertè reuocamur.

II.

Etenim, Christus iubet scrutari scripturas, & vult audiri Mosen & Prophetas, & Pharisæos de repudio sciscitantes, ad scripturam deducit, imo & sermonem suum seruantes, mortem non visuros esse inæternum asseuerat.

III.

Sic & Paulus ad Timotheum scribens, præcipit ut attendat lectioni, exhortationi & doctrinæ: & Timotheum vult^{1.} Timoth. doctrinam Euangelij, ex Prophetis confirmare, seq; in ijs ex- 4. 13. ercere.

III I.

Idem quoq; Petrus, his verbis præter alia monet: *vt 1. Pet. 4. 10 quisq; accepit donum, ita aliis in alium illud ministrantes, ut boni dispensatores, variae gratiæ Dei: si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei.*

V.

Quin etiam verbis haud obscuris, id testantur, quòd à nobis in superioribus disputationibus est ostensum, nimirum in ijsdem sacris scripturis, compræhendi Canonem, seu regulā & amissim, ad quam doctrina fidei, & pietatis, adeo accuratè sit conformanda, vt quicquid non intra illius limites & terminos inclusum, sed exorbitans deprehenditur, minimè legitimum, solidum & authenticum, haberi possit & debeat.

VI.

In quam sententiam cùm alibi, tum in hoc dicto Apostoli, vox

D

Gal. 6. 15. *Il, vox Canonis usurpatur: δοῦλοι τῶν κανόνων τέτω συγχρόνοι. Quorum
quot secundum hunc Canonem seu regulam incident, Pax super
illos & misericordia.*

VII.

Intelligit autem haud alium Canonem, quam doctrinam de Christi cruce, merito & vniuersali promissione, tam in concionibus alijs, quam in ea quam scripserat ad Galatas Epistola proposita, cuius pios sectatores, pacis & misericordiae diuinæ effici participes indicat.

VIII.

Iam quia tot tamq; euidentibus testimonij, sacra scriptura nobis, vt authentica & Canonica commendatur, quaestio est, unde ipsa tantam autoritatem obtineat, & cure ei huismodi dignitas & reuerensia debeatur, qualis omnibus ceteris scriptis non debetur.

IX.

Qua de recùm Pontificijs, aliena, eaq; prætoria ac Tyrannide plena, autoritate, iudicio & testimonij eam Canoniam facientibus, haud postrema nobis est controvieria, vtpote quorum scriptores quidam primarij, & ipsi fatentur, hanc grauem esse quaestionem, sicut sane grauior est, quam ut illi eam ferre possint, quod & postea in Antithesi ostendendum erit.

X.

Nos igitur adserimus, sacram scripturam in se ipsam huiusmodi autoritatem obtinere, propterea, quod ab ipso æterno, & omnipotente Deo, cui soli laus veritatis & sapientiae perfectissimæ debetur, siue mediatè siue immediate, per Spiritum sanctum reuelata & proposita est, adcoq; ab eo vt unicò veritatis fonte profluxit.

XI.

2. Timoth. 3. 15. *Id quod cum ex plurimis alijs testimonij tum ex ijs manifestum est, quibus tota scripture testimoniatur, siue à Deo inspirata esse dicitur, & quod non libidine hominis, allata sit olim pro-*

olim prophetia, sed ἐν τοῖς οὐρανοῖς οὐρανοῖς actos à Luc. 1.70.
Spiritū sancto locutos esse sanctos Dei homines &c. Act. 2.4.

XII.

Vnde, nec illud ad minuendam scripturæ authoritatem facit, quod Deus non per se, sed per alios locutus est, & quod mediatè eam, de qua sermo est, scripturam nobis tradidit.

XIII.

Nam cum Deus in Prophetis, & per Prophetas, ut sacra habent testimonia, locutus sit, hi ipsi Prophetæ & Apostoli, tantum organa eius fuerunt, quorum ore, linguis & manibus, peculiariter in enunciando & conscribendo verbo suo, non sine evidenter certitudinib[us] ac veritatis indicis est versus, ut nihilominus etiam scriptura immediatè vox Dei censenda sit.

XIV.

Ac quia scripturam Deus Prophetis & Apostolis inspirauit, & ea vox Spiritus nominatur, etiam sequitur vocem ipsius Dei eandem habendam esse.

XV.

Deinde, ut & nos scripturā, ac libros eius Canonicos, & diuinos, certo & absq[ue] dubitatione statuamus, internum Spiritus sancti testimonium efficit, cuius πληροφορία & persuasione id fit, ut quemadmodum scriptura in se (quod modò diximus) est Canonica & authentica, sic & à nobis omnino eiusmodi habeatur.

XVI.

De eo multa, eaq[ue] insignia testantur dicta, ut illud Iesaiæ: Iesa. 59.21
Hoc est fædus meum cum eis, Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recessent ab ore tuo &c.

XVII.

Sic à Christo Spiritus veritatis dicitur, qui nos ducat in omnem veritatem, quia est author & conseruator veræ de Deo doctrinæ, & de ea foris, & intus, per idem verbum Dei, & per inspirationem, de certitudine veritatis cœlestis, nos informat & confirmat.

D 2

In ean-

Ioh. 16.13.

XVIII.

Ioh. 5.7. In eandem sententiam manifestis verbis, in Epistola Iohannis Canonica, inter tres testes, omni exceptione maiores, è quibus tota fidei nostræ certitudo, firmitas & constans dependet, hoc testimonium Spiritus exprimitur his verbis : *Is est qui testificatur spiritum esse veritatem, hoc est doctrinam à spiritu traditam, & in voce ministerij sonantem esse veram.* *μετωνυμως.* quamvis vetus interpres, nomen Christi inserat, quòd sensu idem est. XIX.

Ibidem mox subiungitur hoc diuino testimonio, nullum aliud maius aut certius esse posse, & merito omnia humana ei cedere, præter id quòd etiam additur, cur rectè hoc internum testimonium dicamus, nimirum quòd omnes in filium Dei credentes id habeant, in se ipso, quia hic domesticus testis Spiritus sanctus, intra viscera eorum clamat, ac testatur, & quia verbi Dei, ac sacramentorum efficaciam, sensu ipso percipiunt, dum corda eorum regenerantur, & conscientiæ, ad veram pacem & tranquillitatem perducuntur.

XX.

Ad has igitur causas, quibus demonstratur sacra scripturam, sine alienis iudicijs & testimentijs, de quibus aduersarij pugnant, & libros eiusdem verè Canonicos esse, ideoq; merito ab omnibus humanis dogmatibus discerni: accedit etiam miranda eius ἐνέργεια, vis & efficacitas, qua doctrina cœlestis, non ad aures modò, sed ad animum usq; penetrat, & eius est virtutis, ut mentes nostras ad se rapiat, & fidem nobis per se faciat, quòd minimè lubrica, fallax & otiosa, sed diuina, verax & salutaris existat.

X XI.

Roms. 1.16. De hac efficacia præter epitheta, quibus nominatur verbum vitæ, regnum gratiæ, &c. restatur insigne illud dictū: *Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti, qui ammirum*

mirum per hoc medium D E V S potenter agit, conuertendo, regenerando & seruando homines.

X X I I .

Ad eundem modum Apostolus ad Thess. scribit: Euange-*l. Thess. 1.5.*
lium nostrum fuit erga vos, non per sermonem solum, verum &
per virtutem & per Spiritum sanctum, perq[ue] certitudinem mul-
tam, quemadmodum nostis quales fuerimus inter nos, vestra causa.

X X I I I .

Et ad Coloss: Euangeliu[m] quod peruenit ad nos, sicut & in *cap. 1.4.*
toto mundo fructificat, & crescit, sicut & in vobis, ex eo die audi-
stis & cognovistis gratiam Dei in veritate.

X X I I I I .

De diuersis scripturæ, & verbi diuini effectibus, quos ali-
os quidem parit in ihs, qui saluantur, & alios in ihs, qui da-
mnantur, vt & de diuersis tam legis, quam Euangelij usibus,
nihil hic anneximus. X X V .

Quòd autem dictis scripturæ ostensum est, idem quoq[ue]
experiencia & exempla attestantur, vt in duobus illis disci-
pulis Emaunem proficiscentibus, quibus cum Christus, in *Luc. 24.*
via apparuisset, & iam è conspectu eorum ablatus fuisset, ita 32.
inter se colloquebantur, *Non necor nostrum ardebat in nobis,*
dum loqueretur nobis in via & aperiret nobis scripturas.

X X VI .

Vnde & de Apostolis legimus, doctrinam ab ipsis propo-
sitam, in animis auditorum sibi ipsi per se, autoritatem & fi-
dē conciliasse, ac eiusmodi stimulos excitasse, vt licet Aposto-
li externa specie essent homines abiecti, afflicti & illis antea
ignoti, tamen propter eandem doctrinam ipatos, & ministeri-
um eorum amplecterentur, & sibi haberent commendatissi-
mum. X X V I I .

Ad hunc enim modum Paulus ad Galatas inter alia scri-
bit: *Experimentum mei quod siebat in carne mea, non est is asperna-* *cap. 4.14.*

D 3

tineq[ue]

si neg_o respuistis, sed me velut Angelum Dei suscepistis, velut Christum Iesum.

XXVIII.

Idem de Thessalonicensibus hæc prædicat: *Gratias agimus Deo inde sinenter, quod acceptum de Deo sermonem à nobis auditum acceperitis, non ut sermonem hominum, sed (sicut verè est) ut Dei sermonem qui & agit in volis credentibus.*

XXIX.

Cæteris igitur rationibus, ex quibus authoritas & dignitas sacræ scripturæ dependet, ac libros eius verè Canonicos esse probatur, illa quoq; haud incommode additur, quæ ab ipsis scriptoribus, Prophetis & Apostolis sumitur, quorum opera D E V S in consignando verbo suo peculiariter est usus.

XXX.

Nam non tantum ignobiles, sed & illiteratos, ex illis plerosq; ac nullis studiorum, artium, & liberalium disciplinis, antequam ad munus illud vocarētur, excultos fuisse constat, vt inde nullo modo colligi possit, eos suo ingenio, arte & industria, oracula & dogmata, quæ libris ipsorum compræhensa sunt, protulisse & consignasse.

XXXI.

Quamobrem illa non aliunde hauserunt, & perceperunt, quam ex reuelatione diuina, & Spiritus sancti afflatu, qui extra ordinaria ratione, adeò mirandis eos donis exornauit & cumulauit, vt tanto muneri obeundo pares esse possent.

XXXII.

Plura certitudinis, & inuidæ veritatis, de scripturis Canoniceis testimonia siue argumenta, quæ ex ipsis peti possunt libris, in prima disputatione enumerata sunt.

XXXIII.

Quæ sanè cùm maxima ex parte sint externa, haud abs re illis præferenda esse censemus ea, quæ de interno Spiritus sancti testimonio, in omnium fidelium pectoribus, necessario &

rio & perpetuo in his Thesibus exponenda esse peculiariter
iudicauimus. XXXIIII.

Nam et si reliqua argumenta euincunt eos, de quibus lo-
quimur, libros esse diuinos: tamen nobis non persuadere
possunt, ut illis assentiamur, nisi Spiritus sancti accedat testi-
monium, reuelatione, intelligentia, fide & sensu interiore
coniunctum. XXXV.

Id quod etiam Orthodoxos patres sensisse, dictis eorum
ostendi potest, licet illi quando donum intelligentiae scriptu-
rarum, operibus & vitae (ut ipsi loquuntur) Deo dignae at-
tribuunt, cum iudicio legendi sint.

XXXVI.

Sic Basilius in psal: II. sribit: πίσις ή τελέτη μας λογικαὶ με-
γόδες τὴν ψυχὴν εἰσαγαγάμενη ελπίσου, πίσις ἡ Χριστοφερητικῶν
ἀνάγκαιος ἀλλά η τῆς πνεύματος ἡ νεογέννητης εὐγένειας εἴγενορθή.

XXXVII.

Et Chrysostomus in cap: 7. Matt. de dicto petite & da-
bitur vobis &c. infideles quidem, & non timentes Deum inuene-
runt scientiam, legendo & studendo, sed non illam quae ex Deo est, quae
per Spiritum S. datur, sed hanc quae est ex natura carnali, quae per
exercitationem carnis acquiritur, quam habuerunt etiam gentili-
um studiosi. XXXVIII.

Et ibidem paulo post: scientia quae ex solis lectionibus est
ex ore procedit: Quae autem de Spiritu sancto est, de corde profer-
tur. Et ideo spiritualis scientia non solum dicitur, sed & sentitur,
non tantum in scripturis legitur, sed ex corde suggeritur.

XXXIX.

Idem in cap: 6. Iohannis: de dicto omne quod dat mihi
pater ad me veniet, &c. Significat non parvam rem esse fidem,
sed superno indigere auxilio, quod per totum Euangeliū generosae
suiusdam animae & inspirationis diuinae esse contendit.

XL.

Quam

Quam sententiam mox secundò repetit: *Nihil aliud ostendit hic verbis: quod dat mihi pater, quam non paruum quiddam esse credere, atque humanam cogitationem, superno indigere reuelatione, & anima quæ eam fideliter accipiat.*

XLI.

Idem sequenti homilia: *quomodo trahat inquit, hoc propheta prædixerat, quod erunt omnes docibiles Dei. Vides fidei dignitatem quod non ab hominibus neque per hominem, sed per ipsum Deum ea imbuendi sunt: Idcirco ut fidem verbis suis comparet, eos ad Prophetas relegat.*

XLII.

Huius generis dictum est & illud Augustini, contra Epistolam fundamenti, cap: 14. *Eos sequatur, qui nos inuitant prius credere, quod nondum valemus intueri, ut ipsa fide valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur: Non iam hominibus, sed ipso Deo, intrinsecus mentem nostram formante atque illuminante.*

XLIII.

Et hoc eiusdem lib: de vera religione cap: 21. *A Eternam (Dei) legem, mundis animis fas est cognoscere, iudicare fas non est.*

XLIV.

Hinc & Ambrosius diuina ex se probari & ex se credi his verbis lib: 1. de fide ad Gratianum cap: 5. asserit: *Noli Ariane ex nostris aestimare diuina, sed diuina crede, ubi humana non inuenis.*

XLV.

At verò plura Patrum, vtpote quæ humana sunt testimonia, hic recensenda non iudicamus, cùm ex diuinis ijsq; omnium certissimis, id de quo loquimur certum ac manifestum sit.

XLVI.

Nunc consideratis causis potioribus, authoritatem & dignitatem sacræ scripturæ demonstrantibus, aliquid etiam de Ecclesia monendum erit, an illi, & quantum ea in re tribui possit & debeat.

XLVII.

De ea enim, Pontificij potissimum pugnant, & non nisi de Eccle-

Ecclesiæ sententia, iudicio, & censura, authoritatem scripturæ consistere, & qui libri sint Canonici, in ea sciri & credi posse, & debere audacter iam pridem statuunt.

XLVIII.

Quando verò nos quæ peruersa ratione, imò etiam non
sine blasphemia, de eo haſtenus illi protulerunt (vt postea at-
tingemus) admittere non volumus, sed ijs vt par est contradic-
imus, mox clamitant, nos omnem Ecclesiæ authoritatem
abijcere, eamq; nullius æstimare.

XLIX.

In quos sanè, ut in cæteris, iniuria ab illis nos affici, res ipsa docet, modò non Ecclesia, quam ipsi definiunt, sed quam ipsa sacra scriptura designat, intelligatur, & quod ex se eadem scriptura habeat, ad Ecclesiam non detorqueatur, & intempestiuè transferatur.

L.

Ecclesiæ igitur primitiæ, quod antiquitus ab ea editum
esse constat testimonium, libenter ut γνῶσιν amplectimur,
quia illi perspectum fuit, qui initio libri verè Canonici, ab eis
editi, & scripti fuerint, quibus diuina authoritate, id mune-
ris, demandatum erat, & quos Ecclesia illa, vel Prophetas
vel Apostolos, vel Euangelistas esse probè nouerat.

L.I.

Quem in modum eadem, libros sibi creditos, & à se acceptos, ut diuinos, suis non solùm cœtibus proposuit, sed eodem nomine, ad posteros vſq; propagauit.

LII.

Quamobrem quod primæ Ecclesiæ, de autoritate scri-
pturæ, quam ex se habet testimonium, & sequentes deinde te-
nuerunt, quemq; Canonem sacrorum librorum conserua-
runt, meritò & quidem summa voluntate, nos quoq; sequi-
mur, eumq; vel Ecclesiæ, vel Concilij alicuius iudicio, cen-

E sura &

sura & decretis, haud quaquam postea mutandum fuisse, aut adhuc mutari posse statuimus.

LIII.

Non enim hæc, vel illa Ecclesia, habet potestatem aliquid statuendi, de sacræ scripturæ libris Canonicis, de quo non certa, multò antiquioris Ecclesiæ documenta, afferre possit.

LIII.

Primitua quippe Ecclesia, non solum nouit, qui fuerint autores sacrorum librorum, & qui ab illis, qua fide, quóue stylo consignati & editi fuerint, sed insuper ex ijs, quæ traditione viuæ vocis, ab iisdem siue Prophetis, siue Apostolis, siue Euangelistis accepit, iudicare potuit, ea quæ scripta erant, esse illam ipsam doctrinam, quam autores sacri viua voce tradiderunt, & quam nemo piorum in dubium vocasset.

LV.

Id quod de Ecclesia postea secuta, & de ijs quæ longè recentiores sunt, dici non posse, sani omnes facile animaduer- tunt.

LVI.

Ex his igitur, non difficulter colligere licet, nos minimè id Ecclesiæ, quod ei debetur detrahere, sed omnino agno- scere, præclara ipsius, erga sacras scripturas officia, quæ eam ob causam speciatim etiam hic perstringere libet.

LVII.

Nam primò, habemus eam *testis* loco, quia primitua Ecclesia solidam eius habuit noticiam, qui libri Canonici, à quibus sint editi, & quia Ecclesia postea secuta, & quæ nunc est, in eodem testificando, suam adhibet constantiam, quæ duo, à fidis testibus vel maximè requiri constat.

LVIII.

Deinde profitemur, Ecclesiam fungi loco cuiusdam *præ- sonis*, qui edicta à supremo Magistratu accepta, & concredi- ta, publicè, absq; mutatione, bona fide proponit & promul- gat.

Ad hæc

LIX.

Ad hæc, tribuimus Ecclesiæ, officium *interpretis*, non quidem eius, qui prout velit, sacra oracula explicet, ac aliunde corum sensum importet, sed qui ex ipsis scripturis, illum requirat, & inde depromat.

LX.

Deinde, Ecclesia sustinet partes *vindicis*, eiusq; ratione, probat Spiritus, an ex Deo sint, & vera à falsis, germana à supposititijs, siue adulterinis discernit, idq; etiam non ex hominum, sed scripturarum iudicio, secundum quod, doctrina vel acceptanda est, vel respuenda.

LXI.

Hæc omnia ergo officia, licet ad Ecclesiam pertinere statuamus, non tamen propterea, autoritatem scripturæ, ex Ecclesiæ iudicio, & censura dependere profitemur: Cùm scriptura sacra sit *au^rm̄s*, & ex se omnem suam autoritatem, & fidem obtineat.

LXII.

Contra verò, aduersarij nostri Pontificij, iam olim contenderunt, Ecclesiam esse supra scripturam, sicut hæc verba *distinguuntur*.
corum sæpe in iure Canonico repetuntur.

22.c. omnes.

LXIII.

In quam sententiam, Eccius in Enchiridio de autoritate Ecclesiæ ait: *Ecclesiam scripturis esse antiquorem, & scripturam non esse authenticam, nisi Ecclesiæ autoritate: sicut & idem, hanc assertionem statuit hæreticam: Quod maior sit scripturæ quam Ecclesiæ autoritas.*

LXIV.

Quin etiam Stapletonus lib. 5. contro: cap. 1. scribit: *Nos Catholici adserimus, Ecclesiam, & quæ nunc est, & quæ ab initio fuit, scripture sacre Canonem consignare, & fidelibus tradere posse, idq; cum autoritate, cui fideles omnes obtemperare necesse est, siue olim recepti in Canonem aliqui fuerint, siue non.*

E 2

Equi-

LXV.

E quibus, vt & similibus, quæ breuitatis studio omittimus, id manifestum est, quod Pontificij, scripturam Ecclesia inferiorem faciant, & frustra Bellarminum ac alios conqueri, sibi à nobis in eo fieri iniuriam.

LXVI.

Nunc recentiores nonnulli fatentur, Ecclesiam nullo modo posse facere librum Canonicum, de non Canonico, sed tantum declarare, quis sit habendus Canonicus, ex veterum testimonij, &c.

LXVII.

Quòd si à nostris de veritate conuicti, id serio ita volunt, cur non ante omnia ponunt, & apertè profitentur, posteriores causas, supra à nobis recitatas, ob quas, vt sacra scriptura in se Canonica atq; authentica est, sic à nobis quoque talis merito habeatur.

LXVIII.

Ac si easdem causas admittunt, cur libros, & fragmenta librorum, quæ maxima pars testimoniorum vetustatis, apocryphos statuit, in decretis conciliabuli sui, palam pro Canonis, ea authoritate obtrudunt, vt secus sentientes, fulmine anathematis feriant.

LXIX.

Frustra igitur illud excusare, & quibuscumq; rationibus palliare conantur, cuius non tantum verbis se reos faciunt, sed & gladio, atq; igne dimicant, vt obtinere cum cæteris abominationibus & humanis traditionibus queant.

LXX.

Cæterum inter alias rationes, quibus illi sua fulcire decreta student, hanc adferunt: quòd sacra scriptura, non possit probari per scripturam, & ideo per Ecclesiam id fieri oportere, eoq; modo maiorem huius, quam illius esse autoritatem.

Nos

LXXI.

Nos verò affirmamus, scripturam non solum ex scriptura probari, sed & intelligi, percipi & cognosci posse, ac si hoc modo probari, & cognosci nequeat, multo minus Ecclesiæ id acceptum esse ferendum.

LXXII.

Nam cum in superioribus ostensum sit, scripturam habere ipsum Deum efficientem, & eius autoritatem in illa elucidere, meritò Deo ipsi, qui est æterna veritas credimus, & in hac eius autoritate acquiescimus.

LXXIII.

In alijs quidem causis, permittimus mutuam eiusmodi confirmationem non habere locum: Sed tamen in oraculis & scriptis diuinis, omnino locum habere docet, cùm nemo tam idoneus testis de Deo, eiusq; verbo esse possit, quād Deus ipse.

LXXIII.

Iam longa serie, in genere & speciatim exponi posset quem in modum, sacra scriptura, se mutuo testimonio comprobet, fulciat, & confirmet, nisi breuitatis rationem habendam esse putaremus.

LXXV.

Nam quod præcedenti disputatione, Christum Dei & Mariæ virginis Filium, in Mosen, & Prophetas & Psalmos, totum vetus Testamentum distribuisse diximus, hinc planum est, quòd omnes hos libros authenticos & Canonicos esse declarauerit, sicut & omnem doctrinam suam ex ijsdem comprobauit.

LXXVI.

Sic & in specie, libros Moysis, Christus legem Mosaicam solidè interpretando, & ex ijsdem libris passionem, mortem & resurrectionem suam, sicut & carnis nostræ astruendo,

E 3 confir-

confirmavit, vna cum Apostolis à quibus eadem ratio obser-
uata est. LXXVII.

Matth. 1. Historici libri veteris Testamenti, in nouo comproban-
Luc. 3. tur, quando ex illis genealogia Christi, & historia de regina
Matth. 12. Sabæ, de vidua Sareptana, in Euangelicis narrationibus re-
42. censentur, & longa series aliarum Historiarum, in capitibus
Luc. 4. 25 integris, Actorum præcipue Apostolorum pertexitur.

LXXVIII.

Ex psalmis in nouo Testamenti libris, innumera ferè testi-
monia proferuntur, quæ nos de eorum certitudine edocent.

LXXIX.

Ex Prophetis singulis, vel multa, vel aliqua dicta allegan-
tur, excepto forte uno aut altero, è Prophetis minoribus,
quorum tamen omnium autoritatem S. Stephanus, librum
Prophetarum minorum citando, confirmavit.

LXXX.

Iam quemadmodum veteris Testamenti confirmatio, ex
nouo dependet, ita rursus, veritas & certitudo librorum Ca-
nonicorum noui Testamenti, ex veteri potest deduci.

LXXXI.

Veritas enim noui Testamenti, typis & figuris instru-
menti veteris, est adumbrata, siquidem ea, quæ in hoc ipso
instrumento consignata, & prænunciata erant, in nouo com-
pleta esse legimus, quæq; ibi obscurius, hic clarius sunt ex-
pressa. LXXXII.

Quem in modum, si vnum sit verum, alterum quoq; ve-
rum esse necesse est, ac si nouo Testamento credimus, meri-
to etiam veteri Testamento, fidem non derogamus.

LXXXIII.

Quod, si qui libri sint, vel veteris instrumenti, qui auto-
ritate noui non confirmati, vel noui testamenti sint, qui ex
vetere, ea quæ ostensa est ratione, non posse deduci videan-
tur: ta-

tur: tamen ex his ipsis libris, certiora, de eorum fide testimonia, quam ab Ecclesiæ autoritate petere licebit.

LXXXIII.

Nam si sacram scripturam, non ex se, ut Canonicam authenticam, & indubitatem fidei amplectimur, multò minus, ob Ecclesiæ testimonium, ei modo adstipulabimur, quæ & ipsa, ob hanc causam eam semper, quod in se diuina esset, amplexa est, & approbavit.

LXXXV.

Nec verò scripturam solummodo, ut hactenus monstravimus, ex scriptura probari, sed & intelligi, percipi & cognosci posse adserimus, ita ut nec ea in re, plus Ecclesiæ quam quod par & fas est tribuendum sit.

LXXXVI.

Maxima enim illi lux inest, & quidem eiusmodi, quam in tenebris aspicere possumus, modo si oculi eam ad rem idonei, beneficio Spiritus diuini nobis contingant.

LXXXII.

Vnde haud abs re, Propheticus sermo componatur lu- 2. Pet. 1. 13 cernæ, lucenti in loco obscuro, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris.

LXXXVIII.

In eandem sententiam, non Ecclesiæ accepta refertur, sed in verbo & testimonij diuinis lucerna pedum nostrorum, & lux itineris nostri constituitur.

LXXXIX.

Quod si homines etiam loquentes, ex voce ipsa agnoscimus, quid ni D E V M, Deo dediti, in verbo suo, iplos compellantem, ducentem, audiant & agnoscant.

XC.

Vltimo, hic respondendum erat aduersarijs, qui inter alia ex patribus Ecclesiasticis, non pauca, pro defendenda Eccle-

Ecclesiæ autoritate afferunt, quam obtineat in Prophetarum & Apostolorum scriptis Canonicis, vel non Canonicis faciendis, vel quæ Canonica sunt reiiciendis, & rursus, quæ non Canonica habentur suspiciendis.

XCI.

Cùm autem prolixiores nunc esse nolimus, nec adeò in humanis nobis hærendum esse testimonijs iudicemus, tantum de vno ex illis potissimum, quod perpetuo Pontificij in ore habent, non nihil addemus.

XCII.

Est autem illud Augustini, qui cap. 5. contra Epistolam fundamenti, sic ait: *Ego non crederem Euangelio, nisi me Ecclesia Catholicae autoritas commoueret.*

XCIII.

Hinc illi, de quibus loquimur aduersarij, per multa falsa extruunt, vt quod Euangelio credatur, propter autoritatem Ecclesiæ, & ideo Ecclesiæ, maiorem esse autoritatem.

XCIII.

Hinc alia, cum sacris literis pugnantia, adeoq; prorsus intolerabilia accumulant, vt quod Ecclesia possit condere articulos fidei, dogmata & leges, siue congruant cum Euangelio, siue non congruant &c.

XCV.

Etsi autem ad dictum Augustini, & falsa quæ inde extruuntur, variæ solent, & possent afferri responsones, tamen nos in expedita, vsitata, ac simplice sententia, quæ ijs quæ hactenus exposita sunt, consentanea est acquiescimus.

XCVI.

Ea est, quòd sacræ scripturæ principaliter credamus, propter autorem Deum, à quo illa prodijt, & à quo illam prodijisse, interna Spiritus diuini persuasione, alijsq; argumentis, quæ ex ipsis scripturæ libris petuntur, potius ac longè certius,

certius, quam ex Ecclesiæ testimonio, & autoritate, quæ cí
tribuitur, perdiscimus.

XCVII.

Non igitur autoritatem suam ab Ecclesia, Euangelium *Ioh. 1. 18.*
accipit, sed à Deo, qui arcanam ac mirandam voluntatem
patefacit, hac sua voce, iuxta illud: *Filius qui est in sinu pa-*
tris, ipse enarravit nobis.

XCVIII.

Ac quomodo Euangelium, autoritatem suam ab Eccle-
sia, id est, ab hominibus, qui audiunt filium accipiēt, cum o-
mnes homines pariter propter authorem Deum illud ne-
cessariò audire debeant.

XCIX.

Quin etiam nemine monente, quiuis sanus intelligit,
non posse ullis hominibus, sine euidentissimis, ac certissimis
Dei testimonij credi, de rebus longè maximis, & omnem
humani ingenij captum superantibus, utpote quod æternus
viuentis Dei filius, natus sit homo ex virgine, quod passus,
crucifixus & mortuus sit, ut fieret victima pro peccatis mun-
di, quod à mortuis resurrexerit, quod ascenderit ad cœlos,
quod certò nos gratis recipiamur, propter hunc Dei filium,
quod mortui homines, certò sint recepturi corpora &c.

C.

His ita præmissis Euangelio credimus, Ecclesiæ Catho-
licæ (quod Augustinus ait) moti authoritate, minus princi-
paliter, ut testi, ut præconi, ut interpreti, & ut vindici, si-
cūt supra eius hæc officia, erga scripturas sunt enumerata.

CI.

Sic olim Ecclesia, populi Israëlitici, testabatur scripta,
quæ veteris instrumenti sunt Canonica, à Prophetis accep-
ta esse, idq; testimonium ingentia miracula, subinde exhibita,
præter alia κριτήσα confirmarunt.

F

Ad e-

CII.

Ad eundem modum, postea Catholica, siue vniuersi orbis Ecclesia, de libris noui Testamenti, quos habemus, testata est, ab Apostolis domini traditos esse, quorum veritas, & certitudo, iisdem quoq; *κερτησίοις* confirmata est.

CIII.

Quemadmodum autem testi, & similibus officijs fungenti, non licet mutare narrationem quam recitat: Sic non licet Ecclesiæ, doctrinam horum librorum mutare, quæ quidem aliunde habet autoritatem, scilicet à Deo ipso, qui addit illustria miracula, & testimonia, vt autorem monstrant.

CIII.

Quare credimus Ecclesiæ, non vt causæ principali, qui est Spiritus diuinus, nec vt instrumento primario, quod est ipsum verbum, sed vt medio tantum externo, ministrali, adeoq; inferiori, per quod ratione partium, iam enumeratarum, ad ipsos fontes veritatis cœlestis quasi manu deducimur.

CV.

Alijs Patrum dictis, quibus Pontificij probare conantur Canonem scripturæ, ex Ecclesiæ consignatione pendere, vt nunc respondeamus non est opus.

CVI.

Ea enim partim aliena sunt, partim nihil aliud notant, quām quòd scripture sit recipienda, quia ab Ecclesia semper recepta sit, & quosdam libros reijciendos esse, quia Ecclesia semper reiecerit.


Id quod

C V I I .

Id quod & nos haud grauatim concedimus , & ei suum
inter alia relinquimus locum , sed non solum , sed non pri-
marium , sed non talem , quem eosdem aduersarios
inde astruere , post alia hactenus osten-
dimus.

F I N I S .





AB 61 430

ULB Halle

002 694 131

3



SK



Farbkarte #13

B.I.G.	Black
White	
Magenta	
Red	
Yellow	
Green	
Cyan	
Blue	

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

DISPV TATIONES DVAE:

PRIOR

DE SACRIS VTRIVS-
que Testamenti libris Canonis-
CIS, ET ECCLESIASTICIS
SIVE APOCRYPHIS &c.

ALTERA

De eorundem sacrorum libro
RVM AVTORITATE, ET VN-
de illa dependeat.

Quæ, dante & volente Deo, per Christum in Academia
IVLIA habebitur

Ch. 6.

M. 2.

PRAESIDE

Iohanne Hederico Th. D. &
Professore:

Respondente autem

M. GOTFRIDO SLVTERO
Vesaliensi.

HELMSTADII
Ex Officina Typographica Iacobi Lucy.
Anno M. D. XCII.

M. Valent. Myls
F.